

ream Stellam insistentem tricipiti colliculo rubeo indidit, galeasque etiam scuto adiecit duas, prior tegitur mitra Ducali superius descripta ei insistit Vultur scutarius. Posterior ornatur diademate tortili ex auro & cyano, & sustinet inter duo cornua, quorum dextræ superior pars sinistra inferior cœruleo colore pingitur, reliqua cornuum & quæ inter ea apparet stella scutaria auro ornantur. Stella Familiæ Fuchsiarum de Kandelberg in Franconia *deγua* fuit, ex qua Waldpurgis generis sui ultima cum Johanne Geyer Anno 1502. thorum partivit. (i)

(a) Document. Geyerian. (b) Aliud Famil. docum. (c) Similiter. (d) Archivum Statuum Austriae num. 3505. (e) Ibi num. 3534. (f) Ibi num. 3596. (g) Ibi num. 3633. (h) Ibi num. 3688. (i) Ex Manuscript. Famil. Gejer.

CAPUT LI.

MARESCALLI IMPERII COMITES
DE PAPPENHEIM.

FRidericus vernustissimæ hujus gentis propago seculo decimo quarto in Austria consedit & feuda quæ, ab Alberto Duce Austriae acceperat, consensu ejusdem patrimonio Dynastæ de Eckertslau adiecit, quod, attestante Statuum Austriae Archivo factum est Anno 1362. (a) Alia bona quoque in Austria possederunt Pappenheimii Mareschalli, quæ feudali lege in alios transferre soliti fuerunt, indicio alicujus documenti in Archivo Statuum Austriae repositi de Anno 1445. (b)

(a) Archiv. Stat. Austr. num. 705. (b) Ibi num. 2582.

CAPUT LII.

BARONES DE STADEL.

PRoceres hi vetustis Styriæ accententur Prosapiis. Otto dictus der Stadler vendidit bona quædam Anno 1379. adhibuitque testem alium Ottonem de Stadel sive Filium sive Agnatum. (a) Bertholdus de Stadel bona quædam Johanni de Sinzendorff resignavit Anno 1380. cui interfuit actui Otto & Marquardus de Stadel. (b) Leonis Stadelii mentio occurrit ad Annum 1384. (c) Petrus Dominus de Losenstein Bertholdum Stadelium supra memoratum testem esse voluit in cessionis quodam Instrumento de Anno 1386. (d) Martinus de Stadel jus reuisionis in bonis quibusdam obtinuit Anno 1466. (e) Helmhardus, Bernhardus & Juliana de Stadel Germani Anno 1479.

in